SINT *triangula rectangula similia* A B C, D E F, *ita ut anguli* B, *&* E, *sint recti; anguli uero B, &* F, *inter se ęquales; itemq; anguli* A, *&* D, *inter se ęquales; homologaq; latera* A B, D E, *Item B C,* E F, *&* A C, D F. *Dico quadratum ex* A C, D F, *tanquam ex linea una, descriptum, ęquale esse duobus quadratis, quorum vnum ex* A B, D E, *tanquam ex una linea, alterum uero ex B C,* E F, *tanquam ex vna quoq; linea, describitur. Producta namque* D E, *ad partes* E, *sumatur* E G, *ęqualis rectę* A B, *& ducatur* G H, *recta ęquidistans rectæ* E F, *donec cum* D F, *producta conueniat in puncto* H; *Deinde per* F. *ducatur recta* F I, *ęquidistans rectę* E G. *Erit igitur triangulum* F I H, *ęquiangulum (per 29. propos. primi) triangulo* D E F, *hoc est, triangulo* A B C *nempe angulus* F I H, *rectus equalis erit recto angulo B, & angulus* H, *angulo C, & angulos I* F H, *angulo* A: *Sunt autem & latera* A B, F I, *ęqualia; Nam* F I, *est æqualis (per 34. proposit. primi) rectæ* E G, *hec autem rectę* A B, *sumpta fuit ęqualis; igitur & latera B C, I* H, *item* A C, F H, *(per 26. propos. primi) ęqualia inter se erunt. Quare recta* D H, *composita erit ex* A C, *&* D F; *Recta uero* D G, *ex* A B, D E: *Recta deniq; G H, ex B C, E F; quod G I, recta æqualis sit (per 34. propos. primi) rectæ E F. Et quoniam quadratum D H, æquale est (per 47 propos. primi) quadratis D G, G H, simul; constat uerum esse, quod proponitur.*



PROPOSITIO X.

Datis duobus triangulis Isoscelibus, quorum bases inæquales existant, duoq; latera vnius æqualia sint duobus lateribus alterius